

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.  
**Band:** - (1749)  
**Heft:** 15

**Artikel:** De numis bracteatis Tigurinis  
**Autor:** [s.n.]  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394655>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 14.03.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

DE  
NUMIS BRACTEATIS  
TIGURINIS.

---

**V**IRI (a) summæ eruditionis, quibus vel patriam suis ornare laudibus, vel doctos etiam docere, consilium fuit, præteritorum seculorum seriem, regimen, facta aliaque, quoties certa literarum documenta desunt, ex numis justis supplere conati sunt. Quam operam ex gente nostra Helvetica, quæ in communi hac Orbis Europæi confusione singulari Dei T. O. M. indulgentia feliciter floret, quia nemo hæctenus occupavit, ego subsidiis quibusdam instructus, non absque magno labore sumtuque yadum hoc primus tentans, id, ni fallor, consequutus sum, ut sperare auisim, opellam nostram, qualemcunque non ingratham fore antiquitatum studiosis, quum viderint nostram Helvetiam & respectu antiquitatis & monetæ Rerumpublicarum Europæ hæud minimam esse. Animus vero est propter temporis angustiam tantummodo Tigurum Urbem, & usurpatos in illa inde à tempore Caroli Magni usque ad Annum M. CCCC. Numos Bracteatos describere, producturus simul in gratiam curiosorum eruderata in agro Tigurino & posteritati relicta tum Græca tum Romana numismata quædam.

G g 2

Et

---

(a) Scopus describere Numos Bract. Tigurin.

(b) Et quod Græcos in specie attinet, Massiliensium numus elegantissimus prope Vitodurum erutus, duoque Philippi aurei Macedonici, alter in Comitatu Kyburgico, alter Wiediconæ quadrihorio ab urbe distante repertus est. Ex Consulibus præter Cassios, Clodios, Marcios, in ipso Suburbio Urbis nostræ minoris, elegantissimus Servilii Cæpionis numus aureus victoriam adversus Viriatum Lusitanum repræsentans ex horto effossus. Imperatoriorum si enumerare velimus ordinem, tot Ager Tigurinus protrahit, ut illorum recensio specialem spatium opusculi nostri non capiat. Habemus enim Augustos, Tiberios, Neros, Vespasianos, Nervas, Antoninos, Commodos, Gordianos, Philippos, habemus a Galieno usque ad Probum seriem simul centenorum prope Rupertivillam repertorum. Taceo inferioris ævi Constantinos, Constantios, Valentinianos. Sed plane meminisse oportet integerrimi atque pulcherrimi Othonis aurei duabus ab Urbe leucis effossi, cum inscriptione: PAX ORBIS TERRAR. Addere possem idolum Mercurii æneum, in vico Uster ditionis Tigurinæ, alterumque Martis etiam in suburbio nostræ Urbis erutum, utrumque in Cimeliarchio Civitatis visendum. Non minus curiosum est numisma cum effigie Pauli atque antiqua Græca ejusdem inscriptione, in ipsa Urbe in eo colle, ubi olim prisca Romanorum Arx steterat, repertum. Atque ad Fines Helvetiorum præter Numos diversi generis, Carneolum cum elegantissimo capite duplici

---

(b) Monumenta prisca in Agro Tigurin. reperta.

plici inventum , ita , ut caput muliebre sibi superimpositum habeat viri barbatus caput , quod forte Scytharum priscam Tomirim repræsentare possit , de devicto Persarum Rege Cyro hoc modo gloriantem ; aureus annulus cui gemma inclusa est , ex uno latere A. litera , ex altero F. notatus est.

(c) Missis ambagibus numi Thuricenses Bracteati describendi jam sequuntur. Bracteatorum origo fere adhuc in incerto est. Quum vero labente Monarchia Romana pecunia deficere , & numi ex conflatis artificiosissime Metallis cudi cœperint , atque perquam verisimile sit , Carolum Magnum primum ex Francis Imperatorem monetæ Reformatorem post devictos Hunnos auro & argento ditatum , monetam in meliorem statum rede- gisse , non dubitamus , Carolum Magnum primum Bracteatorum Renovatorem dicere , proinde non aberrabimus a vero si contendamus , tres sequentes minoris formæ numos , purissimo argento constantes & numero 1. 2. 3. signatos , in urbe cufos esse ; nam non solum in duobus harum Regionum locis cum certis circumstantiis reperti sunt , sed omnibus etiam constat , Carolum Magnum per aliquod temporis spatium , sub finem seculi octavi Tiguri prope Templum Carolinum divertisse ; Porro omnes Historici consentiunt , hunc Monarcham solum Monetam cudisse , & nullibi nisi ubi degebat , signari voluisse. Unde pro regione nostra , in usum subditorum

G g 3

cufi

ſuſi numi fuerunt ; Quæ res forte effecit , ut Urbs  
noſtra in *Fifci Imperialis* ſedem designaretur , uti  
eam appellat Ludovicus pius , Caroli Magni Fi-  
lius , in quodam documento ad Gotbertum Ab-  
batem Sangallensem Aquisgrano ſub dato d. 15.  
Calend. Mart. A. D. 821. *Ex Fiſco noſtro Imperiali*  
*Thu regi.*

(d) N. 1. a. Ex una parte difficilis cognitu  
Carolus Magnus gladium transversum in ſinu te-  
nens , ſedensque extat , uti adhuc noſtris tempo-  
ribus in eminenti Turri illa Carolina , talis effigies  
humani corporis habitu major , oculis noſtris ob-  
jicitur ; Ab altera obſervanda in medio Crux , quæ  
forte monetam ſuam ſignavit , tanquam nota amo-  
ris & ardoris ſui in propaganda Chriſti doctrina.

N. 1. b. Crucis nova representatur forma , per  
intervalla quatuor O. habens ; ab altera parte vero  
figuram Templi videre eſt ; quam explicare non eſt  
in proclivi.

N. 2. Omnino deletum alterum latus , in alte-  
ro vero obſcura Crux eſt , ſtipata ut n. 1. a. & b.  
quatuor O. Quæ num Galliam Orientalem figu-  
rent , an ornamenti gratia adjecta ſint , aliis diju-  
dicandum relinquo.

N. 3. Licet non ab utraque parte ſignatus , non  
minus tamen conſideratione dignus eſt , quippe  
qui oculis quadratam Crucem cum quatuor inter  
crucis ſpatia liliis ſatis claris cum imperfecta coro-  
na , uti & n. 1. a. & b. exhibet.

Sunt

(e) Sunt vero quædam occasione horum numorum advertenda adhuc. I. N<sup>o</sup>. 1. & 2. clare distincteque ex utroque latere signati numi, eos, qui omnes numos Bracteatos ab una tantum parte cufos statuunt, dimovebunt ab hac sua opinione. II. Proba ex durissimo & purissimo argento constans docet, Carolum Magnum verum Monetæ Reformatorem fuisse, qui nihil additamenti spurii admiserit. III. Forma monetarum haud multum a Gothicis numis abhorrens tunc temporis miserabilem artium statum ostendit. IV. Laminas primo malleis fuisse contusas, & perfectam effigiem vel propter argenti duritiem, vel propter hominum ad talia opera rudium imperitiâ non satis fuisse expressam. V. Ab initio bracteatos minori forma prodiisse, qui autem admodum lati conspiciuntur, eos inferiorum temporum, cum primis Monasteriorum & Templorum esse productionem. VI. Ex utraque parte cusi 10. grana, uniformis vero 6. grana ponderans demonstrat varium illo tempore numorum pretium, usumque.

(f) Ab officina hac monetaria Carolina ad Senatum Tigurinum pervenit potestas cudendæ monetæ, quam contra omnes insultus egregie defendit, & quam Imperatores ipsi confirmarunt. Nam ut antiquiora taceam I. An. 1337. in civilibus legibus sequentia verba leguntur. *Alle die Burger sind übereinkommen, die Münz von Zoffingen und von Solothurn, und mit Nammen alle*  
Gg 4 Münz

(e) Quæ illustrantur.

(f) Carolus M. Jus Urbi dedit.

Münz so auf Zürich Prob geschlagen sind anzunehmen: i. e. *Inter se convenerunt cives, quod Monetam Zofingensem & Solodorensis, & in genere omnem probam Tigurinam tenentem recipere velint.* II. Imperator Carolus IV. aureæ Bullæ conditor, (qui A. 1350. primo Electoribus ad Rhenum concessit argentum signare, & in specie aureos florenos cudere, unde forte floreni illi ad Rhenum nomen suum acceperunt, qui tunc temporis 192. Denarios valebant,) in Diplomate Imperiali A. 1354. confirmavit omnia Urbis nostræ Privilegia, in specie Jus monetale; qua temporum ratione ad Helvetiorum libertatem evidentissime demonstrandam ista confirmatio plurimum valet, quandoquidem tribus ante hoc Diploma concessum annis Tigurum non tantum in Helveticum Fœdus receptum, sed totius Fœderis Helvetici Caput constitutum est. III. Quoddam Senatus Decretum consideratione dignum inter alia hæc verba habet: *Es ist aber innen wol zewissen wie unser gesworne Buntbrief wiset, daß jedermann bi sinem herkommen, verbliben soll, als er das in den bundt bracht hat: also haben unsere vordere vor 500. jaren und länger die Münz harbracht, eh daß sie in den Bundt je kämen, haben auch wir die sidmahls inne gehebt und gehalten von meniglich ungehinderet, 2c. Act. Zürich. A. D. 1424. an St. Catharina Tag der heiligen Jungfrau.* h. e. *Optime illis notus fœderis nostri tenor, ut quis suis in fœdus adductis gaudeat juribus; ita & nostri Majores 500. & plures per annos antequam fœdus iniverunt, monetali privilegio donati fuerunt,*

vunt, etiam ex hoc tempore, sine ullo incommodo  
 usi sumus. Actum Tiguri A. D. 1424. Festo Sanctæ  
 Catharinæ Beatæ Virginis. Ad quod cæteri Can-  
 tones ita responderunt: Wir die Vorgenanten  
 von Lucern, Uri und Underwalden, Zug und  
 Glarus bekennen und verjähent auch wüssentlich,  
 als die Vorgenanten Unsere guten Freund und  
 liebe Eidgenossen die von Zürich uns zu lieb von  
 unserer fleissiger Bitte wegen, und durch gemei-  
 nes Landes Nutzen und Frommen, vorgeanter  
 Münz und Währschaft mit uns eingangen seind,  
 und auch die nach vorgemeldten Worten außgenom-  
 men hand, daß dieselben unsere Eidgnossen von  
 Zürich das alles gethan, und ihnen selber hierinn  
 vorbehebt hand, und gegen uns in den geschwor-  
 nen Bundt bracht hand, daß das alles ihnen soll  
 genzlich an denen und allen anderen ihren Frey-  
 heiten und Rechtungen an ihrem alten Hartkom-  
 men ohnbergreifentlich und ohnschädlich seyn, als  
 dieselben unsere Eidgnossen von Zürich ihnen selber  
 das nit auß bescheidnen Worten außgelassen und  
 verbessert hand. IV. A. 1425. Confirmationem  
 Juris monetalis Urbis nostræ Sigismundus Imp-  
 rator sequentibus verbis exprimit: Und habent die  
 Münz, als sie und die Abtey zu Zürich von langen  
 Zeiten harbracht habent, gnädiglich bevestnet und  
 bestetiget, und gebieten darum allen und jeglichen  
 Fürsten, Geistlichen und Weltlichen, Graffen,  
 Herren, Ritteren, Knechten und Gemeinden al-  
 ler Stätten, Märckten und Dörfferen, und al-  
 len anderen Unseren und des Reichs lieben getreu-  
 en, ernstlich und vestiglich mit disem Brief, daß



ſie die ehgenanten Burgermeiſter und Rat zu Zü-  
 rich nicht hinderen noch irren, ſonder ſolliche  
 Münz nemmen ſollind. h. e. *Et monctam cudendi  
 Jus Urbi, quod illa & Abbatiffa ibi multis abhinc  
 annis poſſident, gratioſe confirmavimus, & ideo  
 omnibus Principibus, Eccleſiaſticis & Politicis, Co-  
 mitibus, Dominis, Equitibus, Servis & Civibus,  
 omnium Urbium, Fororum, Vicorumque, & omni-  
 bus cæteris noſtris & Imperii charis fidelibus firmi-  
 ter his literis & ſtrictè mandamus, ne dictos Con-  
 ſules & Senatam Tigurì turbent, ſed illam mone-  
 tam accipiant.* Luculenta hæc documenta clare  
 ſatis evincunt, monetæ cudendæ poteſtatem, inde  
 a temporibus Caroli Magni, adeoque ab A. 800.  
 circiter annis, habuiſſe Urbem Tigurinam. Etiam  
 juxta *Tſchudium* Urbs noſtra non tantum ab eo tem-  
 pore, hoc privilegio gavifa fuit, ſed etiam tantam  
 poteſtatem poſſedit, ut A. 1230. legem fixerit,  
 qua & *Sacerdotes tributa pendere, & vigiliis ſtata  
 vice excipere* jubebantur.

(g) Singulārī gratia Dei T. O. M. Tigurum  
 ſedem tam amœnam habet, ut jam temporibus  
 Abrahami incolæ illi non deſuiſſe quidam ſomnient.  
 Multis vero Regibus, imprimis Romanis idoneus  
 viſus eſt locus, unde peterentur Jura; imo No-  
 biliffimis Romanorum Familiis belli pacisque tem-  
 poribus tam impenſe ſubinde placuit, ut ætatem  
 illic agerent. Ab Imperatoribus ſequentibus reli-  
 ctum Urbi Jus, ſummam apud omnes Tiguro  
 auto-

---

(g) Urbis antiqua Celebritas.

autoritatem conciliavit. Hinc prima in Helvetia  
Ecclesia Tiguri a Rütperto condita, quæ Clericis  
crescendi viam fecit; quum Caroli Magni Filius,  
Ludovicus imprimis Germaniæ (h) Rex, exem-  
plo Avi subsistens in Urbe nostra, pro sua in Ec-  
clesiam liberalitate novum Fœminarum Regalium  
Cœnobium in Urbe minore, jam Monasterium  
Abbatissanum dictum, condidit, quod A. 853.  
consummatum fuit. Huic Monasterio Filiam Hil-  
degardam primam Abbatissam dedit, quæ X. Kal.  
Januar. A. 860. diem obiit, cujus Epitaphium  
sequens:

X. Kl. Jan. Hildegarda virgo Christi & Dni. blu-  
dovici regis filia de hoc seculo migravit ad Christum, &  
humata est in Ecclesia Sancte Regule & Felicis marit.  
Christi in Castello Thuregi.

Hic jacet in tumulo Christi dignissima vgo.  
hildigarda nitens moribus egregiis  
hec fuit eximii bludovici filia regis  
mentem sponte sua voverat illa deo  
bis denos octo vite compleverat annos

migrans ad sponsum vgo. beatam suam

condidit hoc sanctum stabili fundamine rplm.  
Cum genitore pio bludovico p'ncipi terre

hildigarda pollens christi clarissima vgo  
cui Deus eterne concedat gaudia vite.

De

---

(h) Regia ibi Virginum fundatio.

(i) Defuncta Hildigarda ipsius Frater Carolus Crassus, Ludovici dicti Filius, sceptrum tenens suam sororem Bertham secundam Abbatissam constituit, magnus Privilegiorum Donator. Ex quo ingens ardor pro religione Christiana hoc tempore elucescit, quum Imperatores æque ac Reges salutis suæ procurandæ studio ordini Ecclesiastico se consecrarent. Quo autem Fundatorum horum ac posterorum illorum Autoritas clarius enitesceret, Abbatissas insigni potestate in rebus capitalibus, privilegio condendi fori, imperioque in terram (tanquam Imperiali Feudo certis cum conditionibus concessio) denique luculento Jure monetali donarunt, quod primo Ludovicus Rex Filia suæ Hildigardæ concessit, & Filius Carolus Crassus sorori suæ Berthæ, quæ A. 881. extincta est, confirmavit. Fuerunt adeoque hæ duæ sorores primæ Abbatissæ, quæ obtinuerunt privilegia monetarie.

(k) N. 4. Nostris objiciunt oculis primos Abbatissanos Numos Bracteatos figura dissimiles, quorum ex collo pendentia ornamenta regum ortum indicant. In illis observandus etiam est habitus ordinis Ecclesiastici illius temporis, & inscriptio ZURICH, quæ literæ optime exaratae cum figura ipsa meliorem artium statum docent.

(l) Cum numo N. 5. ad aliud ævum paulatim descendimus, persuasi eum vel sub Elisabetha, vel sub alio nominis Abbatissa ad ea tempora pertinere,

---

(i) Earum Privilegia. (k) Et numi.

(l) Etiam inferiores.

tinere, quibus *Conradus IV. Friderici II. Imperatoris Filius* conquerenti de violatis Juribus Monetalibus Abbatissæ sequens documentum A. 1242. concessit: *Conradus divi Augusti Imperatoris Friderici Filius Dei gratia Romanorum in Regem electus semper Augustus & heres Regni Serlin Advocato & universis civibus Thuricensibus Fidelibus suis gratiam suam & omne bonum. Significantes celsitudini nostræ dilecta Princeps & fidelis nostra venerabilis Thuricensis Abbattissa. Quia in moneta sua, quam tenet a nobis & a culmine Imperiali ratione feudi, & in ceteris Juribus sibi derogetur, in tantum quod in debitis pensionibus & consuetis, sibi & suæ Ecclesiæ persolvendis defectum intolerabilem patiatur, cum ergo hujusmodi injuriis & gravaminibus obviare debeamus, mandamus vobis per obtentum gratie Domini & patris nostri ac nostre firmiter & destricte precipientes, quatenus in vestro districtu nullos permittatis denarios dari in prejudicium & gravamen dicte fidelis nostre ac monete sue nisi sub cambio competenti in ceteris quoque juribus ipsam Abbatissam & Ecclesiam suam teneatis in debitis usibus & honorificentis, ut deinceps in hac parte de vobis non possit habere materiam conquerendi. Act. ap. Scabsi. d. 11. Octobris 1242. decima quinta indictione. Cui non immerito subjungimus Rudolphi I. Diploma Elisabethæ a Tengen hoc tenore exhibitum: Rudolphus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, Universis Imperii Romani fidelibus presentes literas inspecturis Gratiam suam, & omne bonum universitatis nostræ noticie declaramus simpliciter & publice protestantes, quod nos obtentu meritorum quibus honorabilis Elisabeth Abbattissa Monasterii Thuricensis dinoscitur prepollere, volentes Abbatissam eandem prærogativa favoris & gratie prosequi speciali feoda sua Regalia & amministrazioneem temporalium principatus*

monasterii sui sibi concessimus liberaliter & libenter ipsa que Abbatissa princeps nostra dilecta officialibus Thuric— nostre prædicta aministracione de manu nostra sceptroque regali recepta de regalibus juribus prenotatis officialibus debitis plenarie satisfacit ; in cujus rei testimonium presens scriptum sibi tradidimus nostri sigilli munimine roboratum. Datum VIII. Caln. Febr. Anno Domini 1274. indictione secunda , Regni vero nostri anno primo. Ex his id quidem palam est , Urbem in certo districtu non debuisse in istius Abbatis præjudicium leviores numos admittere , non autem concludi potest , civitatem suis cudendi juribus non fuisse gavissam.

N. 6. Figuræ habitusve mutationem Abbatissanorum Bracteatorum demonstrant.

(m) N. 7. Abbatissanus est Obolus , cujus usus in libris Obolorum ( *Bfund Haller* , ) , ut a denariis libræ denariorum , ( *Bfund Wfenning* , ) diu obtinuit. A. 1362. vero propter feliciora tempora a Senatu abrogatus videtur.

Diversa figura horum numorum fidem facit , non solum utramque sororem numos cudisse , sed etiam sequentes Abbatissas tali figura in primarum Abbatissarum honorem usas fuisse ; donec plumbea illa quæ secuta sunt & ferrea secula vilem corporis habitum ac figuras propalarent.

(n) De numis his Abbatissanis porro sciendum , quod inde a seculo nono usque ad tempora Reformationis , omnes Abbatissæ illis usæ fuerint  
cey

ceu sua moneta , a multis dein Imperatoribus illorum confirmatus fuerit usus , & certis finibus inclusus teste certo Instrumento publico , in *Job. Henrici Hottingeri* , avi mei desideratissimi , *Speculo Tigurino* contento ; sed & sæpius Abbatissæ curam cudendi numos aliis reliquerunt , per certos annos præscripta & commendata exacta argenti proba. E. gr. A. 1272. *Abbatissa Elisabetha per tres annos aliis concedidit hoc Jus suum , sub conditione , ut marca quævis solidos justis ponderis 51. teneret , & probam 16. lib. denariorum sustineret.* A. 1290. *Eadem Abbatissa Elisabetha hos numos per 6. annos certo civi cudendos commisit , ita ut assis cum duabus & dimidia libris Marcam penderet.* A. 1350. *Abbatissa Fidis vendidit Senatui 20. florenis Jus monetale per tres annos , non quod Senatus privilegio hoc privatus fuerit , sed arctis rebus pressa Abbatissa suum etiam coacta vendidit.*

(o) Probam horum numorum sequentibus Instrumentis publicis demonstramus A. 1370. 6. lib. 4. ass. *novorum numorum erant Marca argenti mixti.* A. 1380. fuit idem mandatum. A. 1407. 7. lib. 16. den. *constabant Marca argenti puri.* A. 1415. *Marca argenti consistebat ex 5. lib. & duodecim cum dimidio solidis denariorum.*

Ex dictis patet tum justus privilegii monetalis usus , tum etiam inde a mille fere annis status & varietas horum numorum.

(p) Redeo ad numos Senatus Tigurini Bracteatos. Supra jam monuisse me memini , Carolum Magnum

Magnum insignem rei numariæ Reformatorem ubi consistebat, adhibitis, quæ secum circumferebat, instrumentis argentum signasse. Jam cum extra controversiam sit, quod in nostra urbe (uti quoque Conradus II. Imperator mense Augusto Anni 1027. & Anno 1028. cum vi subigeret Kyburgicam Arcem: & Imperator Henricus Anno 1045.&c.) diu commoratus fuerit, sic non minus certum est Ecclesiam illum & Senatam multis privilegiis coluisse, & Tigurum Fisci Imperialis designasse sedem. Cujus benignitatem Illustrissimi Posterius Ludovicus Pius, Ludovicus II. Caroli Nepos & Lotharii Frater, Carolusque Crassus secuti Tigurinæ auctoritatis fundamenta posuerunt. Tunc temporis donata Urbi nostræ potestas numorum cudendorum certis argumentis jam demonstrata, uti maximum regale privilegium fuit, ita, ni fallor, docet, Urbem nostram ex antiquissimis merito censerem, quæ privilegio monetali gavisâ fuerit, in quam sententiam repugnantes etiam atque dissentientes pertracturum me confido. Quod si enim, ut supra diximus, numi Caroli Magni Ludovicorumque in medio cruce sunt signati, & No. 8. unus ex antiquissimis non solum hac cruce notatus est, sed etiam circumstantiæ aliæ, inscriptio nempe altera Orientalium ritu inversa, altera vero legitimo modo posita; figura & litteræ antiquitatem declarant, tum non negandum, hunc numum vel ab ipsis Ludovicis Tiguri, vel ab Urbe cûsum, quod eo credibilius, quia constat, cruce signatos numos inter Urbem & Abbatissam litem excitasse, & crucem in honorem vel Caroli Magni vel Ludovicorum Impp. & posterorum factam fuisse, qui tali signo in numis usi sunt; unde con-

jicimus,

icimus, & hunc Imperatorem Urbi nostræ potestatem argenti signandi tradidisse, & hunc numum ejusdem ætatis esse cum numo primo Abbatissano nono seculo circa finem Carolinæ periodi, qui sesqui seculo regnaverat, prodeunte, eo quod literæ utriusque similes sunt. Ponderus & magnitudo horum numorum, quum quivis duobus granis ponderosior aliis, antiquitatem demonstrant.

(q) N. 9. a. b. Ejusdem significationis, diversæ vero inscriptionis sunt, quorum primus literis TUREGUM, alter ZURICH, & tertius Z... V inscriptus est. *Tschudius* exactissimus Historicus tradit, se antiquum numum Tigurinum, cujus etiam *Stumpfius* noster mentionem fecit, possidere, in cujus facie altera inscriptio hæc sit: THUREGUM in altera; OTTO (r) IMPERATOR. Ex qua inscriptione colligimus, Urbem nostram Imperatorem Othonem ob insignia in se beneficia merito coluisse & veneratam esse. Licet numum hunc non in promptu habeamus, nec potuerimus eum nobis comparare, tamen credimus non antiquiorem decimo tertio seculo esse, nam statim ab initio hujus, & sequentibus XIV. XV. XVI. seculis sæpius numi Carolum Magnum sedentem repræsentantes cum inscriptione SANTUS CAROLUS cusi sunt; quo modo Urbs nostra benefactores suos colere suevit. Quod & nostra memoria Urbs Vesontio in Burgundia sub imperio Hispanico adhuc agens, erga Carolum V. fecit;

---

(q) Urbis diversa Scriptio. (r) Otto Imp.



fecit ; & quidem nostra Urbs non coacta , sed sponte grati animi testificandi caussa effigiem Imperatorum repræsentavit , secus quam facere debuit Genua Urbs Liguriæ , cui a Rege Conrado III. Anno 1139. dum illi potestatem monetas cudendi tradidit , injunctum fuit , ut ab una parte suum nomen cum cruce , ab altera vero Ducis nomen & Urbis insignia repræsentaret , quum antea insignibus Urbis Paviæ usa fuisset.

N. 9. c. Est obolus , sed non numorum a. b. ætatis , forsan vero temporibus illorum Abbatissanorum , & contra eos , ut puto , cusus.

(s) Quando Urbs nostra sanctos suos Martyres Felicem & Regulam in suum insigne assumerit , haud facile dixerim. Volunt nonnulli , quod insignia temporibus Appii Claudii Romæ inventa sint , quæ postea Fridericus primus seculo XII. frequentius usurpavit. Quicquid de eo fiat , tamen veri dissimile non est , nostrum ab initio auctæ libertatis & circiter X. Seculum in consuetudinem venisse. Nam jam antea Martyrum horum autoritas tanta fuit , ut non solum Monasterium illud Carolinum tam mature inchoatum , sed etiam a Fundatore mandatum fuerit , ut quilibet Episcopus Constantiensis statim post factam electionem & consecrationem Tigurum abiret , & primum Sacrum soleane ibi conficeret. Quam rem etiam confirmant tum documenta antiqua quæ ad manum sunt , tum insignia dictæ ætatis. N. 10. Plura etiam demonstrabit , licet quidam tradant ,  
bicipi-

---

(s) Felix & Regula in Moneta.

bicipitem hanc figuram utramque Sororem & Abbatissam primam significare, nos tamen dicimus, illam demonstrare assumptos a nostris Majoribus Patronos, Sanctos Martyres Felicem scilicet & Regulam, qui imperante Diocletiano cum Legione Thebaica in nostram regionem pervenientes, propter præconium Evangelii circiter A. C. 296. a Prætoře Decio capite mulctati in nostra Urbe, ibi quoque sepulti sunt.

Confirmat hanc sententiam N<sup>o</sup>. 11. in quo clare viri foeminæque caput cum crucis signo, extat.

Trium numorum horum facies, nec non N. 12. caput foeminæ Sanctam Regulam, N. 13. & 14. vero Sanctum Felicem absque omni controversia ideo significant, quia omnes effigies vultum miserabilem referunt, colla comæque breviter detruncatæ; apud Majores hi Martyres, ut jam dictum, in tanta auctoritate fuerunt, ut Senatus decollatorum effigiem pro Insigni adoptarit, & multis annis solum duobus his capitibus usus fuerit; Item imprimis N. 13. crucis signo eorum martyrium optime expressum est, uti Majores nostri exprimere solebant; Inscriptio etiam ZURICH videtur antiqua; translationis literarum causa erit forma non justa. Quemadmodum hanc Martyribus venerationem in Monetis apud nos semper habitam fuisse absque omni dubio docet numus N. 17. Solidus ab Amplissimo Magistratu A. 1504. cusus, quem propterea æri incidi curavimus, in quo illorum non tantum figuras sed & nomina expressa videas: Ita non minus hanc sententiam nostram numus N. 15. a superiore parte duplici vultu, ab inferiore Ducis capite & inscriptione ZO-

VIC insignitus, confirmat. Ideo credimus, bina capita nostros Martyres Felicem & Regulam, alterum caput Ducem Berchtoldum Zæringensem Fundatorem Bernæ & ultimum hujus Familiæ significare, quia hic Dux, dum A. 1100. in urbe nostra nomine Imperii Advocatus (Rastvogt) fuit, hos nostros Patronos omni veneratione dignatus est, id quod etiam publice, ut Tigurini, in numis Zofingensibus, quia & Zofingam in sua potestate habebat, testari voluit.

(t) Numerorum horum usum sequentia documenta nos docebunt: e. gr. A°. 1255. d. 23. Martii quidam suum prædium vendidit pro XI. lib.

monete Turicen. A°. 1259. alius pro quatuor Marcis

argenti ponderis Turicen. A°. 1260. Alius certa quædam bona proscripsit pro duodecim Marcis argenti

ponderis Turicen. A°. 1281. d. 7. Augusti, univer-

sis Xpi fidelibus, p̄sens inspectōribus notum sit, quod Consules Turicenses, quorum nomina subscripta, vendiderint, &c. pro precio decem librarum denariorum usualiam monete Turicensis, &c. Nomina Consulū hæc sunt: Burkhardus de Hottingen, & de Beggenhofen, &c. Eodem Anno Festo Georgii triginta solidos denariorum monete usualium pro quinquaginta tribus Marcis argenti ponderis Thuricensis.

Omnium Magistratus numerorum Bracteatorum proba constat 15. & 15½ semunciis argenti & dimidia

---

(t) Usus & valor.

midia etiam tota semuncia cupri, a qua bonitate hodiernæ Modernæ valde aberrant. In genere decem numi sunt drachma, unus numus 6. vel 7. grana.

(u) His numis certi quoque fines sunt constituti, ut ex sequente documento patet, quod vernacula lingua exscribam: A°. 1365. Wenn man in Zürich ein münz schlaht, daß man die nemmen soll durch alles aergau uf unz an den wagenden studen: den Zürichsee uf für wallenstatt unz an den grunen hag, in allem turgau unz an die murg, nid sich ab unz an die aar in dem rin gah, und solten öch die von Zürich in denselben kreissen, in allen der herrschafft vestinnen und stetten ihren wechsel haben. öch hand etlich unser burger geben a----Flor. an ihren gerichtten und diensten die sie zelehnen hand von der herrschafft, daran aber sie von der herrschafft gesumet werdind, und sol öch in den vorgeschriben kreissen chein ander münz gahn dan Züricher münz.

(w) Jam, ut supra innuimus, A°. 1400. propter feliciora tempora Numorum Bracteatorum usus neglectus est, eorumque loco majoris formæ numi cusi, & A°. 1424. & 25. dicti *Plappart*, vel producti sunt, ut N. 16. videre est. Et quia hi numi primi modo dicti magni moduli fuerunt, illos Urbs nostra in honorem monetalis privilegii Donatoris Caroli Magni effigie & inscriptione: SANTTUS CARLUS, adornavit.

H h 3

Ex

(x) Ex brevi hac descriptione & adjunctis numorum effigiebus elucescit jam, ni fallor, Tigurum Jure monetali inde a temporibus Caroli Magni gavisum esse. Unde non tantum Urbis hujus moneta, sed & ipsius proba pondusque, quod exempla allata demonstrant, nostra adhuc memoria in magno pretio habentur. Cæterum tanti Juris antiquitatem, & continuatam ejus possessionem, nulla in Orbe Europæo Republica sibi vindicaverit; Quod pluribus olim, si vitam DEUS viresque concefferit, demonstrabo, producturus tum non solum plura documenta, sed & totius Helvetiæ vetera novaque numismata, ut & usurpatos ab Illustrissima Domo Habsburgensi & Austriaca in regionibus nostris numos, cum necessariis simul ad illustrandum Patriæ honorem historiis, unde patebit etiam curiosa Numismata a quovis Magistratu Helvetico in genere & in specie cusa fuisse. Velut e. gr. in memoriam A<sup>o</sup>. 1315. commissi prælii Morgatensis certus numus cum Insignibus Uraniensium, Suitensium & Underualdensium cusus est cum inscriptione VRANIE. SVVIT. ET. VNDERVALDI. super hæc insignia videntur duæ claves Pontificiales & in medio Aquila duplex, indicans, has regiones ad Imperium Romanum, non vero ad Illustrissimam Domum Austriacam pertinere; ab altera parte extat vir indutus lorica in manu gladium ante se bipennem tenens, cum inscriptione: VICTORIA ELVETIORUM; quod ultimum verbum facit, ut credamus, hunc numum in Italia in hujus victoriæ memoriam csum fuisse

fuisse. A<sup>o</sup>. 1570. Princeps Neocomensis numum  
 cudi fecit, cujus una facies ipsius insignia & no-  
 men, altera cervam pascentem & intra sepimen-  
 tum confidentem exhibet, cum inscriptione: SUB  
 SOLE SUB UMBRA VIRENS. Quod ita expli-  
 catum nonnemo dedit: *Eleonorus Longavillæus Prin-*  
*ceps olim ab Hispanis in Gallia bello captus liberationem*  
*suam Helvetiis & in specie Cantoni Bernensi acceptam*  
*tulit, hocque numo docere voluit, vel Solem Gallicum*  
*ipsum juvare, vel umbram Helveticam tutum posse red-*  
*dere.* A<sup>o</sup>. 1588. Cum inclyta Urbs Argentoratum  
 cum Tigurinis & Bernensibus fœdus sanciret, in  
 hujus fœderis memoriam Thaleros & Semithaleros  
 cudi curavit, in quorum altera parte, Leo Insi-  
 gne Argentoratense tenens prostat cum inscriptio-  
 ne: MAIORVM LIBERTATI TVENDÆ; ab al-  
 tera vero hæc verba leguntur:

\*FOEDER\*  
 CVM  
 TIGVRI\*ETBER  
 NAT\*INITI HOC  
 MNHMOΣINON  
 SPQA\*FF\*  
 \*15\*88\*

Talis Lucernensium eximius Numus est cusus  
 in memoriam Collegii seu Templi Canonicorum  
 illius civitatis A. 1633. incuria servi nidum de-  
 molituri ambusti, denuoque restaurati, cum in-  
 signibus urbis & bicipiti aquila ex uno & inscripti-  
 one ex altero latere. IN. MEMOR. BENEDNIS.  
 ANG. LAP. NO. ECCL. COLL. SEN. LUCER.  
 F. F. ET. D. D.

A. 1691. Quo bellum Gallum inter & Imperatorem ejusque Socios gliscebat, Imperator cum Sociis ab amicitia Gallorum abalienare Helvetios, simulque ab iis auxilia impetrare studebat. Helvetii vero (quorum regio inter Potentissimos Europæ Principes sita,) amicam vicinitatem cum omnibus colentes, id egerunt, ut anteriores Austriæ partes quasi intermediæ quiescere & pace frui potuerint. Cusus igitur tunc numus curiosus est, in cujus una parte imago dextra hastam tenet, sinistra vero columnæ innitens catena omnium XIII. Cantonum Insignia comprehendit cum inscriptione: SECURITAS PUBLICA. 1691. ab altero latere alma pax repræsentatur, his verbis: DEVS NOBIS HÆC OTIA FECIT: in imo numo: 16. PAX 91.

(y) Porro constabit, numorum Helveticorum usualium descriptionem non inanem futuram esse, quia illi non tantum numorum antiquitatem sed & multa curiosa exhibent: Nam e. gr. A°. 1424. Moneta *Plappart* vocata, cusa est, quæ prima cum annorum nota signata fuit. A°. 1494. Numi *Unciales* vocati, in lucem venerunt. A°. 1498. Episcopus Nicolaus Sedunensis tales numos *Unciales* cudebat, in quorum altera facie hujus regionis Provinciarum Insignia occurrunt; altera vero spectandum sistit Carolum Magnum sedentem, & coram eo primum Episcopum in genua procumbentem, & gladium ab eo accipientem. A°. 1512. Tigurini novos *Unciales* numos cuderunt, quos postea imitati sunt etiam alii Cantones, numos  
cum

---

(y) Utilitas ex monetis Helveticis.

cum suarum Præfecturarum Insignibus cudentes. Fallitur enim Auctor Menstruarum Conversationum A°. 1696. pag. 593. qui Patriciorum vel Senatorum Helveticorum, (qui in Republica Helvetica perpetuam potestatem non habent,) Insignia in numis illis exhiberi putat.

Quo autem inchoatum hoc qualecunque opus explicari & consummari aliquando felicius queat, hocce Specimine amicos, fautores & patriæ laudis studiosos quosvis, eo quo par est animo, rogatos volo, ut, si quæ habent in scriniis suis subsidia, mihi, quem non ingratum experientur, subministrare non dedignentur.

F I N I S.

